

## **Phlebitis : dissertatio inauguralis medica ... / submittit David Grünfeld.**

### **Contributors**

Grünfeld, David.  
Royal College of Surgeons of England

### **Publication/Creation**

Budae : Typis Universitatis Hungaricae, 1845.

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/vq8ndqu4>

### **Provider**

Royal College of Surgeons

### **License and attribution**

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

30  
**P H L E B I T I S.**

**DISSERTATIO**

INAUGURALIS MEDICA,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

MAGNIFICI DOMINI PRAESIDIS ET DIRECTORIS,

SPECTABILIS DOMINI DEGANI,

CLARISSIMORUMQUE D. D. PROFESSORUM

PRO

MEDICINAE DOCTORIS LAUREA

RITE OBTINENDA

PUBLICAE DISQUISITIONI

SUBMITTIT

**DAVID GRÜNFELD**

NEORAUSSNITZENSIS.

PESTINI

mense Junio 1845.

Theses adnexae defenduntur in aedibus facultatis medicae,

---

**B U D A E.**

TYPIS UNIVERSITATIS HUNGARICAE.

MDCCCLV.

PHILADELPHIA

DISSEMINATED

BY THE

AMERICAN

PHYSICIAN

AND

PHARMACEUTICAL

DEPARTMENT

OF THE

UNIVERSITY

OF PENNSYLVANIA

1848



MEINEN THEUERSTEN

**E L T E R N**

AUS ZÄRTLICHSTER LIEBE

UND

**TIEFSTER DANKBARKEIT.**

ANZEIGEN

RECHT

DES VEREINIGTEN STAATES

AMERICAN



**P**hlebitis (a graeco verbo φλεψ-φλεβος et terminatione itis) inflammationem venae designat. Morbum hunc recentioribus solum temporibus exactius observatum et perstrictum, quamvis et antiquiorum temporum nonnulli commemorent, multi in dubium vocarunt. Casta tamen celeberrimorum in arte medica virorum experientia existentiam eius extra dubium locavit, clarioresque nobis notiones et descriptiones morbi subministravit.

### **Phlebitis**

respectu anatomico-pathologico.

Signa quae omnis venae inflammatio exhibet, in ipsa eius substantia observanda, haec fere sunt: rubor, relaxatio, friabilitas parietum venae, depositio materiae plasticae in et extra cavum eius, trombi formatio, huius non raro in pus resolutio, hincque obliteratio, vel et suppuratio venae adfectae. Unde in parte remotiore stasis, oedema etc. evolvuntur: ob circulum sanguinis per venam obliteratam impeditum.

Ruborem venae inflammatorium ab imbibitione sanguinis post mortem contingente arduum est, oportet tamen iuste distinguere. Nonnulli asserunt: initio phlebitidis ruborem tantum imbibitioni similem occurrere in pariete venae interno, ac ulteriori solum phlogoseos evolutione iniunctionem vasorum et ruborem arborescentem obvenire, inflammationi proprium.

Depositione materiae plasticae inter parietes venae hi intumescunt, crassiores fiunt; depositione in lumen venae canalıs eius obliteratur. — Duplex quoad productum inflammationis distinguitur Phlebitis, adhaesiva nempe seu exsudativa, et suppuratoria.

Phlebitis adhaesiva in omni laesione venae (post venae-sectionem, operationes varias, partum, etc.) contingit, non tamen ultra laesionis terminos extensa, exsudatione mate-



riae plasticae in utraque parietis venae facie contingente, labia vulneris conglutinans cicatrizatione finitur. In venis minoribus totum hac ratione venae lumen ocluditur, clauso venae lumine in parte infra et supra cicatrizationem sita usque locum anastomosibus vicinum sanguis coagulat, et pars haec venae funis adinstar incrassata et oclusa haeret; hinc a circulo venoso impedito repetenda est infiltratio et tumor oedematosus partium infra concretionis terminos sitarum. — Ceterum si gradus inflammationis non est nimius, et optatae sunt aegri circumstantiae: factum in lumen venae exsudatum iterum resorberi potest, et vena pervia reddi; interna tamen facies minus splendens, quasi relaxata et paries infiltratus crassior plerumque remanet.

Non raro phlebitis exsudativa initio productum ponit plasticum, ulteriori solum suo decursu suppuratoria evadit, aut vero positum iam exsudatum plasticum in media parte sensim emollitur, et in pus transit ita: ut circa circum adhuc stratum fibrinosum remaneat. Quodsi in utroque fine simile adhuc contineatur exsudatum et emollitio atque in pus conversio in centro solum contingat, pus recludetur, et ei ca iacens pars sequestrum formabit fibrinosum. Videtur tamen simili in casu character suppuratorius in centro solum; in peripheria autem adhaesivus praevaluisse. Idem in pluribus sub decursu venae inflammatae occurrit locis, et raro solum pus merum longius extensum venae lumen occupat; probabile enim est, pus ipsum sanguini admixtum, hunc coagulare facere, et disponere ut excreta parte liquida sero nempe, in fibrinosam massam coëat, ut plures hac ratione iuxta invicem positi foci purulenti sequestrati, rosarii instar in decursu venae inveniantur. — Pus vel immediate e vena suppurante defertur in massam sanguinis, vel imbibitione capillari trans strata sequestrum formantia, vel ex abscessu per destructionem vasis formato absorberi potest, et in circulum sanguinis devehit.

Character phlebitidis suppuratorius passim constitutioni dyscrasicae, toxicorum, miasmatum et mephitum actioni, aliisque causis in vegetationem imprimis male agentibus suam debet originem; quamvis et nimis altus inflammationis gradus sufficit ut Phlebitis exsudativa in suppuratoriam degeneret. Ubi in sequelam prius dictorum character suppuratorius suum extollit caput, is initio iam qua talis, plerumque se insinuat, et quam celerrime gravia provocat symptomata intoxicationis sanguinis; perniciose quoque est eo, quod staseos celerrimam erysipelati similem provocet extensionem et propagationem ulteriorem a loco originis. —



Propagatio phlebitidis plerumque centripeta est, ita: ut a ramis minoribus ad maiores, imo usque cor ad endocardium dextrum extendatur. Ceterum obveniunt casus, in quibus inversa directione, imo utraque, versus cor nempe et peripheriam extendebatur inflammatio; sed ad locum anastomosis limitem plerumque figere solet. Producta inflammatio uti: pus, aliaque, quin Phlebitis ipsa ultro extendatur, per undam sanguinis non raro ad maiores distantias cordi vicinas deferantur.

Non minoris momenti quam topicae in adfecta venae parte contingentes, sunt mutationes partium organismi reliquarum, quae omnes cum prioribus tam arcto nexu cohaerent, ut illarum cognitio harum nonnisi notione clarius innotescat ac pateat. Et quidem non raro processus suppuratorius, praegressis horripilationibus et frigore febrim intermittentem mentiente, in remotis etiam ab adfecta vena organo se insinuat, celeres capiens progressus, abscessus secundarios gignendo. — Abscessuli hi ita plerumque limitati sunt, ut circa iacentes partes immutatae, nulla praegressae inflammationis vestigia manifestent, unde ad ideam duxere: eos solum depositione materiae purulentae e sanguine, ortum capere; alias substantia molli grisea, quasi pariete clauduntur et limitantur, circumsito parenchymate sanguine infiltrato, rubro, molli existente. Formationem puris in his partibus praecedit stasis sanguinis, quales futurae suppurationis focos Cruveilhier arte quoque produxit, et demonstravit.

Localisatio et formatio similium abscessuum secundariorum frequentissime contingit in pulmonibus et hepate. In pulmonibus forma pneumoniae lobularis se insinuat, qui abscessuli lobulares, inferiores pulmonum lobos occupant, quo ipso iam distingui valent ab emollitione et suppuratione tuberculorum. Abscessus hi lobulares, quorum non raro plures minores in unum confluent, plerumque latus pulmonum occupant adfectae venae correspondens, quin et arteria pulmonalis adfecti lateris frequenter inflammata, scatet nonnunquam exsudato plastico aut purulento. Abscessus hepatis secundarii sunt magis superficiales, minus rotundati, minusque regulares quam ii pulmonum, et diramationibus plerumque ramorum venae portae respondent. Quod vero in hepate rarius formentur abscessus secundarii quam in pulmonibus, Eisenmann repetit a facultate hepatis materiam purulentam per vias biliaris excernendi, quin eadem in abscessum coeat. Juxta Kiwisch abscessuum secundariorum frequentior sedes est lien, quam hepar, qui tunc in pulsem mollem sanguine



et pure mixtam dilabitur. In renibus abscessus secundarii partem corticalem praecipue occupant. — Accumulatio puris in textu celluloso subcutaneo frequens est, distinguenda tamen a consumptione purulenta textus cellulosi exorta per continuitatem partium, venae inflammatae et in suppurationem actae vicinarum. In cavis serosis oriuntur exsudata purulenta per praegressam Pleuritidem, Peritonitidem, Pericarditidem, Arachnitidem, aut inflammationem membranarum secundariam. Inflammationes similes membranarum serosarum late plerumque extensae deprehenduntur; exsudatum purulentum in cavis maioribus breviplerumque tempore montem adfert. Si pus in cavis articularum quod pariter saepe fit, deponatur, partes non raro tendinosae, imo ossa quoque in processum suppurationis trahuntur; — praediliguntur articulationes maiores: genu, cubiti, scapulae etc., in quibus rarius ad unicum tantum articulum restringitur suppuratio, sed plures sensim, intervallo aliquot dierum unus post alterum in consensum trahitur. — In parte imprimis corticali cerebri guttatim aut latius etiam extensum colligitur pus, frequenter etiam in thalamis nervorum opticorum, in corporibus striatis, — raro in cerebello. Phlebitis venarum cerebri, venarum imprimis diploicarum non infrequens est. Inflammatio venarum ossium causa frequens est formationis abscessuum secundariorum in organis parenchymatosis, (Cruveilhier). Hinc quoque repeti potest, cur post laesiones capitis, orta scilicet inflammatione et suppuratione venarum diploicarum, depositiones puris secundariae, et formatio abscessuum in pulmonibus, hepate, etc. saepe obveniat. — Accumulatio puris secundaria denique occurrere solet in oculo, in textu musculari cordis, in ovariis, utero, tonsillis, infra membranam mucosam intestinorum, pharyngis, laryngis. etc. —

## Theoriae

de accumulatione puris secundaria in variis organis.

1-ma Pus in vena inflammata generatum, attractione, resorptione, vel immediate torrente sanguinis ablatum, inque circulum delatum, in partibus remotioribus rursus deponitur, e massa sanguinis eliminatur, vera metastasis puris contingit. (Hunter, Velpeau, Maréchal, Legalois).

2-da Globuli puris in circulum delati vehuntur unda sanguinis, atque in vasis Pulmonum capillaribus minimi luminis, per quod transire nequeunt, restagnant, lumen va



sorum horum occludunt, et stases lobulares supra memoratas producant.

3-a Non globuli, sed liquor (Maréchal, Eisenmann) solum puris, aut sanguis ipse contaminatus indole sua degenerans, per vasa minima vectus, haecce irritat, et eorum inflammationem producit. Quod ut fieri possit (Eisenmann) organon in quo abscessus secundarius formatur, iam in statu morbosae irritationis debet esse constitutum; hinc serum puris non raro pulmones illaese pertransit, in organo autem alio, in statu exaltatae vitalitatis, aut irritationis constituto, phlebitidem et abscessus secundarios producit. Ast globuli puris, vasa capillaria occludentes, id in non irritatis organis quoque efficiunt.

4-ta Phlebitis ipsa per continuitatem systematis venosi a loco primae adfectionis ad eum usque secundariae, non interruptum propagatur. (Kiwisch).

5-ta Denique actio miasmatum et mephitum in organismum, discrasiam inducit, quae formatione puris in variis organis se manifestat: **Diathesis purulenta.**

Theoriae 1-ae repugnat, quod pus immutatum nunquam adhuc in sanguine inventum fuerit; quod quantitas puris in abscessu secundario multum saepe excedat quantitatem puris in loco primae adfectionis siti; quod non raro citius oriantur hi abscessus, quam in primitivo loco suppuratio detegi potuit, quodve eorum originem stasis plerumque manifesta in textu capillari praecedat, in vena autem primarie adfecta inflammatio adhuc duret, dum pus in dissitis organis accumulatur, metastasis igitur non est; — quod vero globulos puris adtinet hi longe maiores sunt, quam ut vasa minima capillaria pulmonum et hepatis pertransire possent, et intactis his organis, in aliis phlebitidem excitarent. Quod 2-am Th. adtinet, haec quidem exponit, quomodo obstructione textus capillaris stases et abscessus in pulmone et hepate oriantur; ex ea tamen non patet, quomodo similes oriantur desorganisationes in organis aliis, ad quae ut globuli puris deveniant, vasa capillaria minimi luminis pertransire deberent, etc. Sic aliis quoque e recensitis theoriis aliquid obici potest, et maxime probabile est, quod seu pus, seu qualecunque exsudatum sub decursu phlebitidis generatum sanguini admixtum, (quod de aliis quoque haeterogeneis cunctis sanguini arte admixtis valet), ut stimulus haeterogeneus agat, atque variis in organis stasim, et secundariam puris accumulationem producat.



## Symptomata Phlebitidis.

Sunt partim ea, quae a reactione universali organismi dependent, partim vero topica, et quidem primariae vel secundariae adfectionis.

a) **Symptomata topica primaria** sunt: Dolor continuus, qui motu, pressione, et attactu intenditur, tumor partis adfectae, vena nonnunquam funis adinstar incrassata tangitur, crassities eius apparenter eo maior est, quo textus et partes venam ambientes magis tument, rubor per longitudinem venae observandus, continuus aut variegatus, erysipelaceus; calor adauctus. Si inflammatio magis extensa est, aut vena profundius situatur Phlegmasia et oedema partium adfectarum observatur, rubor, calor, doorque intensus et immobilitas artus adest.

Sub decursu phlebitidis transitum in suppurationem tensio minor, mutatio coloris ex profunde rubro in pallidiorum, et habitum oedematosum tumoris, decrementum doloris, et perceptibilis hinc inde fluctuatio manifestat. Phlebitis venarum internarum, profundeque sitarum exercitium partium quibus vena inflammata adpertinet, impedit; Pneumopathiis, Encephalopathiis, aliisque morbis ansam dat.

b) **Symptomata topica secundaria**, nempe in pulmonibus, Hepate, in textu celluloso subcutaneo etc. observanda: sunt symptomata staseos et abscessuum secundariorum in his organis, quae plerumque post primum insultum febris suppuratoriae iam observantur, nimisque subdole et latenter se insinuant.

Phlebitis adhaesiva non raro sine ulla reactione febrili decurrit, quae si adest characterem initio adminus activum praesefert.

Symptoma pathognomonicum phlebitidis et probabilius purulentam sanguinis contaminationem iudicans est horror febrilis cum concussionibus, et insequens torpor universalis, qui alias primo iam initio se insinuat. — Horrores similes primis mox diebus incipientis phlebitidis adsunt, alias tardius solum subsequuntur, atque sub decursu morbi saepius etiam se insinuant. Pulsus citatus 140. et ultra ictuum intra minutum primum, mollis, serius parvus debilis vix tangendus. Respiratio citata anxiosa, cutis urens arida, caput obnubilatum dolens, dedolatio universalis nimia, facies collapsa, aspectus confusus horridus, apathia increscens, deliria mussitantia se insinuant, lingua fauces nares siccae, sqallidae, lingua et dentes crusta bruneo nigrescenti obtecti. Alias cutis repente pallida icterica evadit, (contaminationem



totius sanguinis purulentam indicans), nausea, meteorismus, vomitus biliosus, dolor abdominalis se insinuant; cutis sudore tegitur, accedit diarrhoea copiosa foetida, subsultus tendinum, tremor labiorum, petechiae, plagae gangrenescentes, Parotitis, etc.

### Diagnosis.

Diagnosis Phlebitidis multis in casibus facilitatur per notos nonnullos influxus mechanicos praegressos, laesiones varias, venaesectionem, amputationes, aliasque operationes peractas. *Characteres differentiales:*

Arteritis vehementi pulsatione supra partem inflammatae arteriae se manifestat, desunt symptomata contaminationis sanguinis purulentae, et torpor cum phlebitide coniunctus.

In lymphangitide reactio universalis generatim mitior est, rubor dilutus, tumor decursum vasorum comitans reticularis fere et nodosus cum glandulis lymphaticis vicinis fere semper tumentibus.

In nevritide dolor intensus linearis iuxta longitudinem, in ramificationes nervi adfecti non raro extensus, tuncque eadem intensitate in peripheria ac in ipso loco adfectionis primariae sentiendus, rubor et tumor vel nullus vel exiguus est.

Obveniunt nihilominus casus, in quibus iuxta invicem posita vasa lymphatica, venae arteriae, nervique inflammatione corripuntur.

Plurimas in statuenda diagnosi Phlebitidis difficultates non raro offert erysipelas, eo a potiori, quod phlebitis venarum profundius sitarum forma Erysipelatis spurii nonnunquam insurgat, et praeterea ipsum etiam Erysipelas in peripheria sua sitas venas in consensum inflammationis trahere valeat. Multis in casibus pathognomonica solum pyaemiae symptomata (ne haec quidem semper) unice claritatem diagnosi adfulgent.

### Aetiologia.

Certus aliquis phlebitidis gradus, omnem cuiuscunque generis laesionem venae insequitur, haec tamen adhaesiva solum est, conglutinandis labiis vulneris et cicatrizationi venae inserviens, nullis se pandit symptomatibus universalis reactionis, nulla pyaemiae symptomata offerens. Status



reactionis universalis tantopere veritus phlebitidem insequens, solum post infectionem sanguinis materia quacunque haeterogenea: pure, ichore etc. exsurgit, ac proin sine phlebitide, iniectionibus etiam per venam in massam sanguinis factis excitari potest. Secretum purulentum seu sub decursu phlebitidis in ipsa vena generatum, seu suppuratione in parte quacunque organismi praesente, per resorptionem in massam sanguinis delatum, periculosissima symptomata reactionis universalis, et pyaemiam excitat. — Num re ipsa quaecunque pus in circulum delatum symptomata haec excitare valeat, an pus solum degeneratum, ichorosum, carcinomaticum, gangrenosum etc. id efficiat? an peculiaris humorum dispositio, aut alterationes variae sanguinis discrasicae sine laesione venae, aut hae praegressa, phlebitidem et symptomata pyaemiae excitare valeat? — nec dum patet. Nihilominus tamen experientia testatur, phlebitides periculosissimas in individuis cachecticis, aere impuro myasmatibus variis et mephitibus scatente degentibus excitari: — item regnante epidemia typhosa, erysipelate et gangrena frequentius obveniente, minores etiam laesiones venarum, post venaesectionem, amputationes, aliasque operationes, phlebitis periculosissima facile et frequenter insequitur. In puerperis praeterea momentum in peculiari humorum miscela querendum, universum organismum ad phlebitidem et statum pyaemicum praedisponens, subversari, extra dubium est. (Canstatt.)

Dantur casus, in quibus nulla laesione, nullaque contaminatione sanguinis seu pure seu alia materia haeterogenea praegressa, post refrigerium, menostasiam, aliosque influxus dinamicos phlebitis fuerat exorta.

Ceterum phlebitidem rheumaticam, choloticam, typhosam, syphiliticam, dyschimoticam statuere, datis experientiae haud sufficientibus, praematurum fore censemus; eo a potiori, quod in nulla harum, characterem peculiarem et specificum convenientibus signis topicis in adfecta vena distinguere valeamus, quod omnes potius processus morborum supramemorati in eo convenire videantur, quod secretionem puris alterent, aut crasim sanguinis sic alienant, ut is corruptioni et pyaemiae faveat, quin immediatum influxum, characterem nempe specificum contribuendo, in decursum phlebitidis exererent. Phlebitis solum puerperarum, ob frequentiam eius, et peculiarem modificationem processus vitalis puerperarum, characterem proprium agnoscere videtur. (Canstatt.)

Phlebitis frequentissime obvenit in venis extremitatum



(Saphena, tibiali, crurali, cephalica mediana, basilica), in venis pelveos, imprimis uterinis; in vena cava adscendente, vena portae, iugulari, sinibus cerebri, arteria pulmonali. (Eisenmann).

### Decursus et Exitus

**Decursus Phlebitidis** plerumque acutus est; — decursus chronicus varias parietum venae desorganisationes: indurationem varicositates, etc. inducit.

**Exitus Phlebitidis adhaesivae** plerumque in sanitatem est, verum in suppurationem quoque transire potest, quae si sanitate finitur, crises solennes (evacuatio puris per alvum, et urinas, formatio abscessuum, sudores largi) contingunt. Alias symptomata ominosa omnia repente remittunt, horrores febriles, et symptomata pyaemiae se insinuant, quae aegrum enecant. — Et si sanitas aegri etiam restituatur, in sequelam late extensae suppurationis et destructionis partium, contracturae, ancyloses, nonnunquam desorganisationes organorum internorum: abscessus pulmonum, etc. remanent, quibus quoque serius aut ocyus mors aegri inducitur. In casibus in quibus venae maiores obliterantur, venis collateralibus revehendo sanguini non sufficientibus, varicositates, oedema, induratio textus cellulosi infra punctum obliterationis siti. — Si obliteratio venarum in cavis maioribus contingat, hydrops eorundem cavorum insequitur.

**Mors** in acme plerumque febris cum torpore universalis insignitae, praegressa diarrhoea, meteorismo, deliriis, subsultibus tendinum, facie hippocratica, contingit; pulsus his in circumstantiis citatus, inanis, intermittens est, evolvuntur symptomata gangrenescentiam, et sphacelum indicantia. Si in organis nobilioribus, ut pulmonibus, hepate cerebro abscessus secundarii formentur, aut inflammatio ad cor usque extendatur, mors citissime paralysi horum organorum suboritur. Mors repentina nonnunquam a formato in vasis maioribus, e. g. in arteria pulmonali coagulo repetenda. — Denique et haemorrhagia lethalis destructione vasis maioris per processum suppurationis evenire potest.

### Prognosis.

Phlebitis adhaesiva imo et suppuratoria levioris est momenti, si inflammatio ad partem laesam solummodo extendatur, nullaque symptomata staseos ulterius extensae ad-



sint, nec nimiae coenesteseos turbae se manifestent. — Pessima semper sunt auspicia si rubor, tumor, dolorque partis adfectae augeantur, et in peripheria versus cor magis extendantur; si concussiones febriles, cardiopalmus, dispnoea, tussis, symptomata pneumoniae, icteri, deliria etc. accedant. Phlebitis epidemice laesiones minores etiam, operationes, puerperium etc. insequens, sic etiam aegros in aere corrupto nosocomiali invadens, peiorem semper prognosim admittit. Amplitudo venarum inflammatarum maior varicositas, aliaeque earum degeneraciones, status aegri cachecticus, tristem nonnisi spondent exitum.

### Therapia.

Processum phlebitidis adhaesivae, aut etiamsi suppuratio in parte laesa initium sumserat, nulla tamen adhuc staseos propagatio contigerat, methodus antiphlogistica heroice adhibita, infringere valet. — Ceterum status universalis aegri, cachexia quaequam praesens, aut crassis sanguinis iam alienata, status puerperalis, therapiam omnino dirigunt et quantitatem evacuandi sanguinis varie modificant.

Phlebitidem igitur post venaesectionem, varicum extirpationem, aliasque operationes exortam, depletionem sanguinis universali ac topica, iteratis etiam vicibus per intervalla brevia adhibitis, adgredimur. — Venaesectio nequaquam in adfecta extremitate, ut nec depletio sanguinis topica in ipso sed in peripheria tumoris instituenda, ubi haemorrhagiam hirudinibus iteratim adhibitis diutius sustentare consultum est. Fomenta frigida, glacialis, Schmuckeri, cum aqua Goulardi etc. adhibita in primo phlebitidis stadio remedium sistunt efficacissimum. Usus quoque unguenti hydrargiri cinerei non ad plagam adfectam unice sed in maiori circumferentia, dosique maiori adhibiti, ad crasim phlogisticam alterandam multum sane confert. In casu ubi pyaemia timetur, aut huius iam symptomata manifestantur, eo adlaborandum, ut contaminatam sanguinis crasim mutemus. Remedia ad hunc scopum ducentia varia laudantur: Tartarus stibiatus a Laennec, Sanson, Balling. Alii Chlorum, alii Calomel maiori iam minori dosi, cum vel sine Opio et praeparatis Antimonii adhibent. Eisenmann cunctis in casibus in quibus Tartarus stibiatus indicatus est, Sulfatem cupricum cum Opio substituere suadet. Jodetum kali recentioribus temporibus in adfectionibus typhosis laudatum, porro Creosotum, Oleum Terebinthinae, remedia videntur esse tentaminibus faciendis non indigna. Venaesectio in hoc stadio



facta omnino reprobanda. — Ad sustendendas et erigendas vires: China, remedia volatiliter stimulantia, victus leniter et bene nutriens indicantur. — Ad vim nerveam erigendam Eisenmann opium solum, aut cum Camphora (gr. opii, cum gr. quatuor Camphorae bis de die) Arnicae. Chinae Moschoque praefert, cum continuato Chlori usu. — Canstatt suadet initio Phlebitidis dosim maiorem Calomelae ad scrupulum usque, tentandam; et quidem ideo, quod etiam contra typhum abdominalem a multis laudetur, praecipue vero: quod experimentis Cruveilhieri in animalibus vivis factis conformiter, injectis in venam materiis putrescentibus postquam evacuationes alvinae copiosae secutae fuissent, sanitatem animalia haec recuperarunt; notum enim est permultos morbos cum crassi sanguinis alienata procedentes peculiarem exhibere nisum in evacuationes alvinae.

Quod remedia topica in Phlebitide adhibita adtinet: deligatio, compressio, et transcissio adfectae venae bonum haud spondet exitum, cum influxus hi mechanici vix perferantur ab aegris, et in phlebitide utique non tantopere propagatio inflammationis, sed pyaemia potius timetur, utramque autem etiam si memoratae operationes fiant, evenire potest. — Melior videtur esse methodus a Velpeau et Physick laudata, progressum ulteriorem phlebitidis vesicantibus sistere. Velpeau quidem supra et infra, atque ad ipsum locum adfectionis inflammatoriae venae vesicans adhibet; — Physick autem totam extremitatem emplastro vesicatorio obvolvitur, decursum venae inflammatae solum liberum relinquit cataplasmatibus fovendum. Schönlein initio mox scarificationes adhibet, quibus si notabilis quantitas sanguinis evacuat, tensio dolorifica partis adfectae cessat, et magnum non raro levamen adfertur, ac instar topicae evacuationis quoque proficue sunt. Eisenmann suadet ut loca scarificationis tinctura Jodi concentrata illinantur, aut praetermissis scarificationibus pars adfecta aqua chlorata concentratiore saepius lavetur, vel vero cum aqua chlorata dilutiore tepida fomentetur, ut sic topice quoque ad contaminatam crasim sanguinis alterandam cooperemur. Adfectiones secundariae pulmonum, cerebri hepatis etc. cum respectu ad universum virium statum antiphlogistice tractandae, formatio tamen abscessuum paucis solum in casibus poterit averti.

Si Phlebitis endemice quasi in nosocomiis saepius eveniat, aegri hi ab aliis separandi, atque curandum est, ut in aeri puro liberoque possint commorari, nec timendum



refrigerium horum aegrorum, sed accumulatio potius mi-  
asmatis in conclavibus non bene ventilatis.

Prophylaxis contra phlebitidem est mundities in-  
strumentorum, quibus qualescunque operationes perficiun-  
tur, tractamen iustum et solers cuiuscunque generis laesio-  
num et vulnerum imprimis si phlebitis frequentius obveniat.  
— Laesio minima tempore sectionis cadaverum aquisita,  
aqua chlorata, vel ammonio eluenda. — Regnante typho vel  
erysipelate operationes maiores vitandae, deligatio, exstir-  
patio varicum cautissime suscipienda.

---

## T H E S E S.

---

1. In diaeteticis plus saepe salutis, quam in lagenis phar-  
maceuticis.
  2. Panacea rationi experientiaeque repugnat.
  3. Concissio cataractae non minus quam extractio curam  
sistit radicalem.
  4. Quo Therapia simplicior eo melior.
  5. Lac maternum unico neonato quam maxime adaequa-  
tum est nutrimentum.
  6. In partu ancipiti vita matris eae infantis est praeferenda.
  7. Hinc: perforatio capitis foetus sectioni cesareae prae-  
ferenda.
  8. Medicina et Chirurgia in intimo existunt nexu.
  9. Inoculatio non est syphilidis certissimum criterium.
  10. Remedium specificum sub omni circumstantia non datur.
  11. Circulatio, praeter activum impulsu per systole cor-  
dis in sanguinem, et influxum nervorum, etiam a pres-  
sione aëris atmospherici in corpus pendere videtur.  
(Gendrin).
  12. Abscessus secundarii in Phlebitide per metastasim non  
oriuntur.
  13. Symptomata auscultationis et percussionis non tantum  
in pulmonum et cordis, sed multis aliis etiam morbis,  
maximi sunt momenti.
-